1401

In Signatura Justitiæ Die 14. 7bris. A° 1775. Responsu Eidem Auditori Rotæ una cum Monitorio et tanquam in prima, etiam cum facultate circumscribendi.

4.

Cracovien. Exemptionis

Super Pertinentia Causæ.

Rev. Pater. INCLYTUS ORDO RR. DD. Canonicorum Regularium Custodum SS. Sepulchri Hierosolymitani suam desumens institutionem ab ipsomet Apostolo S. Jacobo, Sæculo ineunte decimo primo deductus fuit a Hierosolyma in Poloniam a celeberrimo Principe Jaxa Griphio, eoque tunc in sua Villa, nunc Oppido, seù Civitate *Miechoviæ* fundata fuit Ecclesia, & Cænobium, inde dictum *Miechowiense*, ut narrant *Cromer. de reb. gest. Polon. lib.6.*; Verum destructa Hierosolyma, summa Ordinis præfati, qui per universam Europam diffusus erat, refugium habuit ad Cænobium Miechoviense, ejusque *Præpositum* uti cæterorum omnium Conventuum *Caput*, *Patrem*, & *Superiorem* agnovit, velut erudite tradit *Joann. Dlugos. Histor. Polon. ad Ann. Christi* 1162 *fol. mihi* 450. ibi = *Quod quidem CÆNOBIUM DE MIECHOVIA propter sui excellentiam, ac vetustatem non solum omnium Cænobiorum suæ generationis, & Ordinis, quæ in Regnis Poloniæ extant, sed etiam omnium, quæ in Galliis, Hispaniis &c. consistunt, potest juste, & rectè vocitari, & censeri Vertex, Cardo, & Caput, cum omnia ab hoc uno Originem acceperint, & generationem &c., CUI etiam omnia Monasteria Ordinis præfati in Poloniæ, Hungariæ &c. Regnis consistentia SUBSUNT, PARENT, & OBEDIUNT, à Præposito Miechoviensi provisiones, & institutiones, destitutionesque Locorum, & Charismata suscipiunt.*

2 Lepidissima autem Fabella est, quam in principio mussitat *contraria Commissio* de ass. suppressione Ordinis nostri facta sæculo XIV. ab Innocentio PP. VIII.; Etenim suppressio illa, quæ ultra se non porrexit, quam ad Ecclesias, & Conventuales Domus existentes in *Italia*, & *ulteriori Sicilia*, ceù opportune explicat *Gabr. Pennot. in histor. tripartit. lib.2. cap.67.*, suppressio, inquam, illa nil quidquam detrimenti attulit integritati, & juribus Ordinis nostri in Regnis *Poloniæ*, imo successorum Pontificum singularibus gratiis, & favoribus perpetuò ditatum Ordinem nostrum in Polonia floruisse, & in sua observantia tranquille conservatum fuisse disertiùs testatur *Samuel Nakielski de antiquit., & Stat. Ordinis S. Sepulchri pag. mihi* 552. ibi = *Consequentium tamen Summorum Pontificum singulari gratia, & favore in aliis Christiani Orbis Partibus, utpote in Germania, Bohemia*

hemia, *Ungaria*, POLONIA, *& alibi* IDEM ORDO IN SUA OBSERVANTIA TRANQUILLE CONSERVATUS ESSE NOSCITUR.

3 Inter ampliora verò *privilegia*, *gratias*, *& favores*, quibus Ordo hic noster a Supremis Ecclesiæ Pastoribus merito fuit decoratus, specialius privilegium à primæva sua fundatione quæsitum illud est, quod *totaliter*, *& in perpetuum* declaratus fuerit *exemptus a quavis Episcoporum jurisdictione*, *dominio*, *& potestate*. Vetustioribus quippe omissis Celestini II., Innocentii III., Urbani IV., aliorumque Pontificum Bullis, recolendæ memoriæ est LEO Papa X., qui *anno* 1520., sicque longe post figuratam suppressionem Innocentii, non modo *Præpositum*, *& Fratres Domus S. Sepulchri de Miechovia*, *& omnia ipsius membra in Poloniæ Regnis existentia ab omni jurisdictione*, *potestate*, *& Dominio Episcoporum omnium totaliter in perpetuum exemit*, prohibuitque *omnibus Episcopis*, *& aliis Locorum Ordinariis*, *nè in Præpositum*, *& Fratres jurisdictionem*, *superioritatem*, *correctionem*, *visitationem*, *aut potestatem aliquam exercere aut Censuras promulgare &c.*, *aut alias eosdem Præpositum*, *& Fratres Ordinis SS. Sepulchri contra dictum Exemptionis tenorem quovis modo inquietare*, *seu perturbare auderent &c.*, uti exhibent perspicua verba suæ Pontificiæ Constitutionis in *Summario num.* 1., verum etiam ut Fratres Ordinis securiori potirentur jure Exemptionis ab Episcoporum potestate, *sub B. Petri*, *& S. Sedis protectionem illos suscepit*, *omnesque libertates*, *& immunitates* a Prædecessoribus, & præsertim ab *Urbano IV.* huic Ordini concessas, authoritate Apostolica confirmavit, ut legimus ex alia Constitutione *ejusdem anni* 1520., *in Summario num.* 2.

4 Sic autem tantis Pontificum Bullis avulsa, demptaque Episcoporum omni jurisdictione in Fratres Ordinis hujus, laudatus ipse Pontifex Leo X. eodem *anno* 1520. *concessit*, *confirmavitque uni Præposito Domus de Miechovia plenariam*, *& omnimodam jurisdictionem in singulas Ordinis Domos*, *Prioratus*, *& Ecclesias in ipsis Regnis constructas*, *ac illorum Personas tam in capite*, *quam membris visitandi*, *corrigendi*, *& puniendi*, *ac absque Locorum Ordinariorum licentia electiones approbandi*, *cassandi*, *ac Domibus*, *& Locis Regnorum hujusmodi de Personis idoneis providendi &c.*, ut altera præsefert Leonis Bulla *in Summario num.* 3.. Et enim vero, qui usque adhuc electi, & dein a S. Sede confirmati fuere Præpositi Miechoviæ, singuli ii semper *Præpositi Generales*, *Superiores*, & *Caput Ordinis* agniti sunt, semperque liberam, & independentem exercuere jurisdictionem in Religiosos Ordinis. Constat id ex innumeris

meris, qui vario tempore explicati sunt à Præposito Miechoviæ, deputationum, & remotionum actibus *Summario num.* 4., *&* 5.. Constat ex Constitutionibus tum Sixti V., tum Urbani VIII., queis approbantur ejusdem Ordinis Constitutiones, *Summario num.*6., *&* 7. Constat ex alia recentiori Bulla Innocentii PP. XI., qua jurisdictio Reverendissimi Præpositi Generalis, omnesque veteres Bullæ, & maxime Leonis X. confirmantur *Summario num.*8. *in princip.* Constat ex multis visitationum actibus multisque Poloniæ Regum, ipsorumque Episcoporum disertis Confessionibus, *Summario num.*9., 10. 11. 12., *&* 13. Constat ex Judicatis S. Nunciaturæ, & Responsis S. Rotæ, *Summario num.*14. 15., *&* 16. Constat rursus ex Rescripto Particularis Congregationis a Summo Pontifice dein approbato *Summario num.*17. Constat ex Concordatis anno 1736. stipulatis Clementem XII. inter, & Regem Poloniæ, quibus statutum legitur, quod *in Miechoviensi Præpositura* esse debeat PRÆPOSITUS GENERALIS Ordinis Canonicorum Regularium SS. Sepulchri, *Summario num.*18., & constat demum ex Capitularibus electionibus Præpositorum Miechovien. a S. Sede confirmatis, *Summario numer.* 19., *&* 20. *per tot.*

5 Si quis vero ex multis Poloniæ Episcopis aliquando minus prudenter ausit in discrimen adducere Privilegia nostra suæque jurisdictionis facere aliquam Ecclesiam, & Conventum Ordinis, mox a pretensione vacui ceciderunt, majoremque vim adepta sunt Apostolica nostra Exemptionis Privilegia. Exemplo quidem est acerrima lis, quam *anno* 1760. movit *Episcopus Premisliensis*, obtendens, Ecclesiam, & Personas Religiosas S. Spiritus in *Prevorsko* suæ Ordinariæ jurisdictioni subjectas esse. Contentio hæc statim descendit ad Tribunal *S. Rotæ*, & omnia inibi allata sunt a tum temporis Generali Præposito Exemptionis Privilegia. Nec diù anceps stetit judicium Sacri Tribunalis: Sicut enim compertum fuit, quod *Ordo Canonicorum Regularium SS. Sepulchri jamdiù amplissimis munitus fuit privilegiis*, & signanter *à Celestino II., Innocentio III., Honorio III., Gregorio XI., Bonifacio VIII., Urbano IV., Leone X. quorum vigore ab Ordinaria Episcoporum jurisdictione universus eximitur Regularis idem Ordo*: verba sunt editæ Decisionis in *Premislien. Præposituræ super Conventualitate 27. Februarii 1760. §. 12. coram Reverendissimo P. D. Ratta*, *Summario dicto num.*15. *litt. D.*, ita Sacrum Tribunal disputato dubio = *An constet de Conventualitate Ecclesiæ Parochialis in Prevorsko, seu potius DE ILLIUS SUBJECTIONE JURISDICTIONI EPISCOPALI ETIAM QUOAD PERSONAS in Casu &c.* = bis, & tertio

tio responsum dedit = *Affirmativè ad primam partem*, ET *NEGATIVE AD SECUNDAM*, *exceptis iis*, *quæ respiciunt Curam Animarum*, *& administrationem Sacramentorum*, = ut exhibent laudata Decisio, ejusque confirmatoriæ *dierum* 22. *Januarii* 1761., *&* 15. *Februarii* 1762., quibus etiam conformis accessit Rotalis Sententia, *Summario cit. num.* 16.

6 Quamvis autem decisio hujus controversiæ cum Episcopo Præmisliensi foret Achilles, qui detinere debuisset alios Poloniæ Episcopos a turbando Ordine nostro in suis exemptionis, & jurisdictionis privilegiis; quamvis utroque jure præscriptum sit, *ut Episcopi Viros Religiosos exemptos*, *& non exemptos charitative tractent*, *& sua jura*, *ac privilegia inviolabiliter eis servent*, *ac alter in alterius injuriam non prosiliat*, *seu jacturam*, velut habetur *ex Clementin. unic. frequens*, *& assidua de excess. Prælat.*, attamen modernus Reverendissimus Episcopus Cracovien., seu verius Instigator suus Fiscalis (qui non alter est in hac contentione quam irrequietus ille, Ordinique suo rebellis *Cyrillus Zuchovvski*) non quidem ex zelo Religionis, & pietatis, sed ex parvis odii scintillis tantas nuper attulit injurias Ordini, tantasque inflixit excommunicationis Sententias emeritissimo illius Generali Præposito Matthæo Buidecki Principali, aliisque Conventus Miechovien. Religiosis, ut nec Tribunal A. C., nec Apostolica Nunciatura Poloniæ, sed tantum nuper Eminentissimus Pro-Auditor Sanctissimi suo cum decreto suspensivo Ordinum, & Censurarum omnium relaxat. ab Episcopo valuerit aliquantisper compescere præcipitem illius Curiæ rationem.

7 Enim vero tanta ab hydra non eriguntur capita, quantæ obmotæ sunt a Fiscali Cracoviensi Lites, & prætentiones, ut Ordo noster vel omnimodam ferret jacturam, vel illam amitteret prærogativam Exemptionis, quam jam obtinuit ex pluribus Pontificiis Constitutionibus quamque jugiter in Contradictorio Judicio vindicavit adversus alios Poloniæ Episcopos. Reque vera ADCITATUS primo est ad Instantiam Promothoris Cracovien. Generalis noster Præpositus, ut *coram Officio ipsius Episcopalis Curiæ compareret*, & tamquam usurpator a se *dimitteret Titulum Præpositi Generalis*, ut ipsa enarrat *contraria Commissio*: ADCITATUS denuo cum pluribus Ordinis Canonicis nomine tam dicti Promothoris, quam Cyrilli Zuchovvski *ad comparendum in prædicta Curia*, *tradendumque decimas* quasdam ipsi Cyrillo assertive spectantes, *Summ. n.* 21. *litt. A.*, *&* B. ADCITATI deinde sunt alii Religiosi Conventus Miechovien. jamdiù exercentes in Ordine Officium Notariatus, *ut se abstinerent ab Officio*, *& stipulata quævis Instrumenta pro nullis declara-*

ren-

rentur, *Summario num.* 22. ADCITRTUS itidem alter Religiosus, qui est Promothor Fiscalis Ordinis, ut *pro usurpato Officio Fiscalatus exemplariter puniretur*, *processusque formari subjicerentur vitio nullitatis*, *Summario num.* 23.

8 Age rursus ADCITATI sunt Generalis Præpositus, & alter Canonicus, ILLE, *quia Præsidem Capituli constituerit ad extendendas pænas contra Cyrillum ZuchovvsKi ratione receptionis de Posta quarumdam Litterarum*, ISTE vero, *quia Præsidem Capituli se jactaverit*, *institumque est*, *ipsos ratione præmissorum puniri &c.*, *Summario num.* 24. *litt. A.*, *&* B. ADCITATVS denuo est ipse noster Præpositus *ad comportandum Instrumentum Prothonotariatus*, *alios idem Instrumentum sequestro subjici*, *Summario num.* 25. *litt. A.*; Præterea ADCITATI sunt plures nostri Canonici, *ut se præsentarent coram Episcopali Curia*, & perhiberent *testimonium*, *quod Matthæus BujidecKi in Festo Pentecostes Missam celebraverit*, *factaque comprobatione*, *is pro aperto clavium contemptore declararetur* = *Summario n.* 26. *litt. A.*, *&* B.

9 His, aliisque injuriosissimis Mandatis, seu Citationibus, quarum pleræquæ exequutæ sunt *una*, *eademque die*, & quarum unaquæque secumferebat in casu non paritionis Sententiam latæ excommunicationis, ut ex eisdem Mandatis in *Summario num.* 21. *ad* 26., læsa videns Reverendissimus Generalis Ordinis Præpositus Exemptionis privilegia, demum (licet invitus) venit ad Tribunal A. C., reportavitque contra Promothorem Cracoviensem *Monitorium super observatione*, *&* *exequutione prædd. Privilegiorum*, *necnon super manutentione in possessione*, *seu quasi omnimodæ exemptionis a quavis jurisdictione Ordinariorum cum inhibitione*, ne interim tum Reverendissimus Præpositus, tum alii Canonici Ordinis sui super enunciatis Mandatis a Fiscali molestarentur, ut ex tenore substantiali ejusdem Monitorii expediti *die* 9 *Julii superioris anni* 1774., *Summario numer.* 27.: At ferventior inde succensus est ignis. Spretis enim Apostolicis nostris Privilegiis, spretaque inhibitione Tribunalis A. C., NOVÆ rursus, eæque magis injuriosæ per reconventionis viam traductæ sunt in Episcopali Curia prætentiones *quoad Curam Animarum*.

10 ADCITATUR quippe Generalis Præpositus, *quia ad Cong. Decanales condescendere renuit*: *ADCITATUR* etiam ad *respondendum certis punctis super negligentia in Cura Animarum*, *defectibus*, *scandalis &c.*; ADCITATUR idem ad *producendum Librum Copulatorum Ecclesiæ Miechovien.* fine verificandi partitam *pro apocripha* reputatam: ADCI-

TATUR quoque, ne sub excommunicationis ipso facto incurrendæ Sententia *celebret amplius cum usu Pontificalium*; Nec satis hæ videntur injuriæ. Publicatur *die 10. Aprilis currentis anni* mandatum Episcopale, quo Confessarii omnes Ecclesiæ Michovvien. (nulla indicta, probataque causa) revocantur ab Officio excipiendi Confessiones: utcumque jam concessa illis esset ab eodem Episcopo approbatio, & duraret adhuc impartita licentia, *Summario num. 28.*; Denique vero *ipsa die* 10. *Aprilis* Religiosi ferme omnes Conventus Miechovien. una cum Præposito eorum Generali declarantur incursi in excommunicationem, & per valvas Ecclesiarum Poloniæ Cedulones excommunicationis affiguntur, prout patebit ex tenore dd. Citationum, & mandatorum alias allat. cor. Emo Card. Pro-Auditore SSmi, & iterum afferen. *in contrar. Summ.*

11 Ut injuriis tantis, & contumeliis frænum aliquod imponeretur, obtenta per nos invanum fuit ab A. C. Judice Monitorii *citatio specialis pro purgatione Attentatorum, & circumscriptione Actorum omnium fact. post præsentatum Monitorium super exemptione*, una cum iterata *inhibitione*, ne quidquam amplius in ea Curia attentaretur, ut patet *ex Actis*; Ast quemadmodum oportebat expeditam rei dare medelam, ita coactus fuit noster Præpositus Generalis advolare Varsaviam apud Reverendissimum S. Sedis Nuncium, quo coram adcitato Promothore Cracovien., suisque omnibus expositis juribus, aliquantulum favente justitia recreatus est. Nam Judex ille definitivo suo decreto in Contradictorio Fiscalis edito *die* 12. *Maii* nunc elapsi, *eadem omnia mandata, Citationes &c. alias attentate, & in spretum authoritatis S. Sedis emanata suspendit, & Causam ad Judicem A. C. Superiorem inhibentem remisit: Una simul iterum inhibuit Fiscali Cracovien., ne quidquam contra Recurrentes attentaret, eosque a Censuris omnibus sublevavit*, ut ex *Summ. n. 29.*

12 Hinc Reverendissimus Generalis Præpositus conscendit ad Superiorem Judicem A. C., nempe R. P. D. Gavottum, coram quo jam Consensum suum præstiterat D. Procurator Fiscalis Cracovien., *Summario num. 30.*, petiitque tum purgationem attentatorum, & circumscriptionem Actorum omnium in Episcopali Curia Cracovien. factorum in spretum Monitorii super Exemptione, tum novam inhibitionem, ne quid in ea Curia ageretur, neve amplius Religiosi Canonici molestarentur *circa exercitium suorum respective Officiorum*; licetque quoad Circumscriptionem eorum Actorum Judex A. C. remiserit cognitionem Causæ ad Listam Inform. una cum alia super negocio principali Exemptionis, attamen haud juvante acerrima Partis insistentia, petitam denuo decrevit *inhibitionem*, *Summ. n. 31.*

13 Dum vero manus nostræ admotæ erant prosequendæ Causæ exem-

Exemptionis in Tribunali A. C., ubi per consensum ipsius Fiscalis Cracovien., Judicisque Decreta fuerat firmissime contestata, Promothor idem, arrepto sibi nomine aliorum Poloniæ Episcoporum, haud trepidavit instantiam porrigere coram Eminentissimo, & Reverendissimo D. Card. Pro-Auditore SSmi, ad hoc ut circumscriberentur Acta omnia gesta tam coram Nuncio Apostolico, quam coram A. C., & Causa nostræ Exemptionis avulsa ab R. P. D. Gavotto remitteretur vel ad Curiam ipsam Cracoviensem, vel ad Sac. Cong. Concilii, non retardata interim exequutione Ordinum, seu Censurarum relaxat. a dicta Curia, ut ex tenore impertinentis nimium Instantiæ legen. *post contrariam Commissionem*. Sperabat forte ille Promothor, cum personali adsistentia sui Cyrilli Causam hanc misere propugnantis, pulverem injicere oculis Sapientissimi Judicis, & maxime obtinere *prætensam exequutionem datorum Ordinum*: At spes longe ivit incassum. Nam Eminentissimus Pro-Auditor, re maturius perspecta, facultatem donavit Promothori adeundi Supremum hoc Tribunal quoad punctum *pertinentiæ Causæ*, ast quoad punctum prætensæ exequutionis mandavit suo decreto *suspendi Censuras omnes* USQUE AD EXITUM LITIS, ut patebit ex Decreto *subtus dictam Commissionem*. Cum itaque hodierna die Promothor Cracoviensis, usurpato etiam nomine aliorum Promothorum, porrigat huic Tribunali Commissionem limitate ad punctum *prætensæ Avocationis Causæ* nostræ Exemptionis, *à Tribunali A. C.*, ejusque *remissionis ad Sac. Congr. Concilii*, non diffidimus, quin justissimi PP. eumdem Promothorem in sua petitione vacuum dimittant ex promerito Rescripto = NIHIL =, quod humillimis imploramus precibus.

14 Profecto obloqui hic non oportet de prætensa jam exequutione Ordinum Episcopalium, quos Eminentissimus Pro-Auditor Sanctissimi merito *suspendit ad exitum Litis*. Nec refutare juvat prætensam olim circumscriptionem Actorum factorum in Tribunali A. C., & in Apostolica Nunciatura Poloniæ. Saniori enim consilio nec verbum quidem, nec vola legitur de prætensione ista in *contraria Commissione*, quæ utcumque concepta videatur fallaci verborum involucro, attamen limitata, & directa *tantum* est ad avocandam ab A.C. Causam Exemptionis, ejusque extorquendam remissionem ad Sac. Congregationem Concilii. Jam vero si hæc, & non alia quæstio est, utique quæstio ipsa rite potest decidi, & mox dimitti contraria Commissio ex una inspectione Facti, quod non abs re summatim fuit superiùs expositum.

15 Quandoquidem cum Causa nostræ Exemptionis introducta fuerit *coram A. C.* à Mense Julio præteriti Anni ope *Monitorii super observatione, & exequutione Privilegiorum Apostoli-*

co-

corum, *nec non super Manutentione in possessione*, *seu quasi omnimodæ exemptionis à jurisdictione Ordinariorum*, *Summario num.27*. Cum prætera nullus dubitet, Exemptionum Judicem competentem esse Tribunal A. C., cumque Promothor ipse Cracoviensis Adversarius inibi semel, iterumque præstiterit consensum suum; jamque A.C. Gavottus in utriusque Partis conflictu pronunciaverit Decreta, quæ proxime tendunt ad rectam definitionem istius Causæ, *Summario num.30.*, *& 31. Litt.A.*, hinc plane sequitur, haud posse ampliùs Fiscalem Cracoviensem aufugere, & declinare judicium A. C. Gavotti, cujus legitimam in hac Causa jurisdictionem inelidibili facto suo sæpiùs agnovit, adprobavitque, ad *Text. in Leg. si convenerit ff. de jurisd. omn. Judic.*, *Leg. sed etsi susceperit ff. de Judic.*, *Roman. cons.* 169. *num.4. in fin.*, & optimè *Rot. dec.36. num.29. part.10*; *& dec 226. num.2. part.11. Rec.*

16 Perditissimo autem studio regerit Fiscalis, ablegandam esse Causam hanc ad Sac. Congregationem Concilii, quia res sit de punctis, & Cathegoriis respicientibus Curam Animarum: Hic sane latet error Domini contrarii Defensoris, qui Causam unam cum alia commiscere, ordinemque judiciorum intervertere vellet. At si (proùt decet) separetur triticum à palea, & res una ab altera secernatur, quisquam ingenio suo intelliget, prætensiones Curiæ respicientes Curam Animarum haud quidquam detrahere, & præjudicii ferre Actioni nostræ institutæ in Tribunali A.C., & respicienti Exemptionem, seù executionem Privilegiorum Apostolicorum. Enim vero Monitorium nostrum super Exemptione exportatum fuit ab A. C. *die 9. Julii* 1774. adversus illa Episcopalia Mandata ejusdem Anni 1774., quæ nil habebant respectu ad Curam Animarum, sed tantum lepidas continebant prætensiones in Ordinaria Curia promotas ab eodem Fiscali *circa* titulum Præpositi Generalis, *circà* Decimas tradendas Cyrillo, *circa* ass. usurpationem Officiorum Notariatus, Fiscalatus, & Prothonotariatus, *circa* demum constitutionem Pręsidis Capituli, & prætensum Testimonium nostrorum Canonicorum fine declarandi Irregularem Reverendissimum Præpositum Generalem, ut relegere est *in nostro Summario num.27. Litt.A.*

17 Quoties itaque Monitorium nostrum coram A. C. expeditum est adversus Episcopalia Mandata, quæ longe diversa sunt ab Animarum Cura, nec quidquam de illa concernunt, utique nequit se ingerere Sac. Congregatio Concilii; sed unus remanere debet Judex A.C., qui cognoscat Exemptionem nostram, & spretum temere factum eorum Privilegiorum, quibus prohibitum est Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, *in Præpositum*, *& Fratres Ordinis jurisdictionem*, *su-*

pe-

perioritatem, correctionem, visitationem, aut potestatem aliquam exercere, aut Censuras promulgare, aut aliàs eosdem contra dictumExemptionis tenorem quovis modo inquietare, seù perturbare: verba sunt non inopportune repetenda Leoninæ Bullæ *in Summario num.* 1. *Lit. B. & C.*

18 Exageret nunc arbitrio suoFiscalis Cracovien. alia suaMandata, quæ nonnulla conglomerant pertinentia ad Curã Animarum, illa sane operari nequeunt avocationem CausæExemptionis à Tribunali A. C.; Cum enim dicta mandata, seu Citationes supervenerint longe *post* expeditum Monitorium coram A.C; ut combinare est ex data earum Citationum afferen. *in contrario Summario*, ita posteriores hæ prætensiones, quæ nuper obmotæ sunt à Fiscali per reconventionem, invidiamque nostræ Exemptionis Causæ, licet involvant materiam Conciliarem, nequaquam possunt divellere, & ad se trahere Causam nostram Exemptionis, quæ præventive jam introducta, & per consensum Partis legitime contestata reperitur in Tribunali A. C., *Novar. de elect., & var. for. sect. 2. quæst. 5. n. 2., Calcagnin. in prax. Signaturæ part. 1. observ. 6. num.* 13.

19 Firma itaque, & immota persistere debet nostræ Exemptionis Causa in Tribunali A. C., poteritque Fiscalis Cracovien. suo jure (quod nullus vetat) uti circa puncta pertinentia ad Curam Animarum. Verum enim verò, quatenùs libèret integerrimis PP. omnes hinc, & inde motas Contentiones ad unum, idemque ablegare Tribunal, modus plane se offert, quò rectius omnia componi possent, faciliusque unicuique Litiganti Parti quoad varias eorum prætensiones ius reddi valeret. Siquidem cum (uti supra diximus) pendeat adhùc *in S. Rota* Causa inter Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Præmisliensis, & Præpositum Generalem nostri Ordinis super prærogativa Exemptionis à quavis Ordinarii iurisdictione, cumque ex singulis, quæ in eo Tribunali allata sunt, Apostolicis nostris privilegiis definitum semel fuerit, non constare *de Ordinis subjectione jurisdictioni Episcopali*, imo ab ea exemptum esse *etiam quoad Personas*, ut ex *Summario num.* 15. *Lett. D., & num.* 16., hinc in hypothesi, qua divelli vellet ab A. C. Causa Exemptionis, iam nil æquius, nilque sanctius constitui posset, quam eandem Exemptionis Causam cum Promothore Fiscali Cracovien. remittere ad iudicium *S. Rotæ* Tribunalis, coram quo ipsissimam Causæ speciem, & cum simili Contradictore pendere, compertum est.

20 Commissa vero S. Rotæ nostra Exemptionis Causa, planum fit consequens, ut eidem Tribunali committi, & coniungi debeant omnes Episcopi prætensiones respicientes Curam Animarum, *tum* quia iam Sacrum Tribunal in decisa exemptio-

nis

nis Causa *cum Episcopo Præmisliensi* delibavit, cognovitque etiam ea, quę respiciunt Curam Animarum, *Summario num.16. Litt.B.*, *tum* quia ipsum Tribunal semper insimul examinat punctum Exemptionis competen. Ordini Regulari, & prætensiones Episcoporum quoad Curam Animarum, semperque altercationes hasce dimetiri solet, & dirimere ex uno tanquam principali Exemptionis fonte: Sic enim (cæteris omissis exemplis) servatum fuisse noscimus in acerrimis, nostrisque simillimis Controversiis actis inter Archiepiscopum Burgensem, & Ordinem S. Benedicti: Substinebat *hic*, uti substinet Ordo noster, punctum Exemptionis suæ à quacumque Ordinarii iurisdictione: Prætendebat *ille*, uti nunc obtendit Episcopus Cracovien., sibi multa pertinere quoad Curam Animarum non obstante generalitate exemptionis; At vix firmata fuit principalior basis Exemptionis favore Ordinis, ceù testatur Decisio *in Burgen. jurisdictionis* 3. *Julii* 1713. *coram Barbadico*, mox quasi in consequentiam coinciderunt omnes Episcopi prætensiones respectû Curæ Animarum, veluti perhibent accessoriæ ipsæ Decisiones, *ALTERA* scilicet *super approbatione Vicariorum*, *& iterato examine* 26. *Junii* 1715. *coram Crispo*, *ALIA super Commissione Curæ* dicta die, *ALTERA demum super Actibus Parochialibus*, *jure scilicet instituendi*, *destituendi*, *exercendi Curam*, *& Functiones Parochiales sine Licentia Episcopi prædicta die* 15. *Junii* 1715. *coram eodem*.

21 Quamobrem si hæ singulæ controversiæ respicientes Curam Animarum, materiamque Conciliarem alias habuerunt judicium suum in *S. Rota*, & ex uno jurisdictionis, seù Exemptionis fonte diremptæ sunt, parili jure statuendum est, ut simillimæ controversiæ, quas in odium exemptionis nostræ promovit Fiscalis Cracovien., advinvicem uniri debeant cum Causa exemptionis, & remitti ad *S. Rotam*, ubi ipsa pendere digno scitur cum altero Poloniæ Episcopo, Causa exemptionis. Hicque vere modus est *rectus*, *prudens*, *& utilis*. Contentiones enim omnes in diversa discissæ Dubia cognoscuntur in uno, eodemque Sacræ Rotæ Tribunali: Tollitur quævis implicantia Judiciorum; & denique jus suum redditur unicuique Sanctum, & expeditum.

22 Ex his igitur, quæ diximus in puncto pertinentiæ Causæ, jam contraria Commissio *aut* dimitti ex justitia debet cum rescripto = NIHIL, = *aut* in omnem casum cum alio Rescripto = *Ad Rotam quoad omnes*, *& omnia* = Acta itaque contentio hæc est. Ast si quis vel obiter rescire cupiat, quid juris fuerit in Causa nostræ Exemptionis, & in altera respiciente prætensiones Fiscalis, eum provocamus ad Seriem Facti, quam late supra exposuimus Ordinem quippe nostrum fuisse exemptum ab omni jurisdictione, potestate, & dominio Episco-

porum omnium, ac immediate susceptum sub protectione S. Sedis, ejusdemque Ordinis *Generalem*, *Caput*, *& Superiorem*, cum suprema potestate esse Reverendissimum Præpositum MiehKovviæ, evincunt Pontificiæ Bullæ pręsertim Leonis X, & Innocentii XI:, demonstrat longæva jurisdictionalium actuum observantia, probant Regum, & Episcoporum Agnitiones, confirmant Responsa Pontificia, Sententiæ Nunciaturæ, & Judicata S. Rotæ, ac demum ostendunt tum Concordata Poloniæ cum S. Sede, tum etiam generalium Capitulorum confessiones, prout latius in *Summario a num.* 1. *ad num.* 20. Satis ergo probata remanet exemptio ab ordinaria jurisdictione, satisque probata est Reverendissimi Generalis Præpositi jurisdictio, quoties eam manifestam faciunt tot publica monimenta, quæ nulla sunt exceptione elidibilia, ut in pari casu respondit *Rot. in Conversana jurisdictionis* 27 *Novembris* 1750. §. 3. *cum seqq. coram bon. mem. de Vais*.

33 Nec nisi damnatissimo consilio sibi blanditur Promothor Cracovien, in respicientibus Curam Animarum haud operari efficaciam exemptionis nostræ, sed suæ jurisdictioni posse submittere eos Religiosos Curatos, & Confessarios illius *Conventus Miechovien.*, *ubi perpetuo resedit*, *& residet* Præpositus noster Generalis, & Caput Ordinis. Scimus equidem, huc, & non alio ferire quotquot exequutæ sunt à Fiscali Promothore Citationes, & mandata circa exercitium Functionum Parochialium, exceptionem Confessionum, iteratum examen, assertosque defectus in Cura Animarum, ut relegere quisque poterit *in eodem contr. Summario*. Scimus, & Ordini nostro, ejusque laudatissimo Præposito, cui uni tamquam Capiti Cura esse debet Ovium suarum, acerbiorem infligi nequivisse injuriam, atque jacturam. At cum Causa venerit ad examen, plane intelliget, intelligatque ex nunc Fiscalis ille, aerem verberare, dum studiosa tantarum Citationum agglomeratione suæ jurisdictionis facere contendit Religiosos Canonicos ejusdem *Conventus Miechiovviensis*. Scire enim oporteat (quod forte dissimulant Contradictores nostri), *quod ab Episcopi jurisdictione*, *visitatione*, *& correctione* ETIAM IN HIS, *QVÆ* AD *ANIMARUM CURAM*, *ET SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONEM SPECTANT*, *excepti sint tam Sæculares*, *quam Regulares*, *qui Animarum Curam exercent in iis Monasteriis*, *sed Locis*, *in quibus ABBATES GENERALES, AUT CAPITA ORDINUM SEDEM ORDINARIAM PRINCIPALEM HABENT* = veluti per hæc aurea verba sancivit æternæ me. *Pontifex Benedictus XIV. in Sua Constitutione Anni* 1744., quæ incipit = *Firmandis* = §. 2. *&* 13.

34 Quisquam ex his utcumque breviori calamo recitatis ingenio suo comprehendet, quid juris fuerit, cum Causa nostræ exemptio-

ptionis, & prætensiones Fiscalis Cracovien. ad maturius descendent judicium S. *Rotæ*. Ast equid hęc? Contentio sane nostra non alia est, quam de pertinentia Causæ Exemptionis; Diximus vero jam, Causam hanc ita legittime, & cum Partis consensu contestatam reperiri in Tribunali A.C., ut nulla ratione possit avocari, & remitti ad S. Congregationem Concilii. Quoties autem non libeat Reverendissimis PP., ut hæc Causa remaneat coram A.C., contrariæ vero prætensiones agi debeant in alio Tribunali, *modus* unus retinendus est, qui videtur in hacce Contentione *rectus*, *utilis*, & *prudens*, ut nimirum Causæ omnes hinc, & inde motæ Committantur in *statu*, & *terminis* uni, eidemque Tribunali *S. Rotæ*, velut iterum nomine Reverendissimi Generalis Præpositi, totiusque Ordinis sui Votis exoramus inspensissimis.

Quare &c.

Dominicus Franci.

Congreg. Signaturæ Justitiæ

R. P. D.

MAGNANO

Cracovien. Exemptionis super pertinentia Causæ.

PRO

Rmo D. Matthæo Buvdecki Præposito Generali RR. DD. Canonicorum Regularium Ordinis SS Sepulchri.

CONTRA

Rev. D. Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien.

S

Facti.

8

Typis Bernabò 1775.